

quàm possim nostros aliò transferrre calores,
bujus ero vivus mortuus bujus ero.

Et pòst in eodem libro (*eleg. XX. al. XVI.*)

Ossa tibi juro per matris & ossa parentis,
si fallo, cinis heu ! sit mihi uterq; gravis,
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras,
ambos una fides auferet, una dies.

Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, ut me
Inferno damnes Æace judicio,
atq; inter Titij volucres mea penna vagetur,
tumq, ego Sisyphio saxa labore geram.

Sed horum quidem heic pausa est facienda. Ultimò de
FINDEKELLERO meo mihi pauca dicenda erunt, quum & ipse
pro *Valedictione*, & *gratiarum actione* ultima apud nos verba fuerit
facturus, & quidem de *Magnitudine Romanà* sive *urbis Romæ*, de quâ
suus olim scripsit *Ovidius* (*lib. 11. Fastor.*)

Gentibus est alijs tellus data limite certo,

Romane spatium est urbis & orbis idem.

(perinde ut olim, & veriùs, de suo populo *Jesus Sirachi Fil. cap. xxxvi.*
28. Unicuiq; assignatum est certum tempus vivendi, *Israëlis* verò
tempus nullo numero circumscibitur, quamquam certò mihi non
constet, an ex *affectu* istud *Judaico* potius, quàm *sensu mystico* protu-
lerit) De eâ, inquam, hæc ad Vos dicturus est, quæ suo sibi Marte ex
autoribus quibusdam, qui super eâ re scripserunt, collegit atq; sele-
git, quem, spero, dignum judicabitis, ut *quartâ* † *jam vice* benevolè
audiatis. Et fanè, postquam ex Scholâ publicâ Dresdensi *Ann.*
cic. cic. lix. d. 30. Januar. de consilio Patru sui Ampliss. Viri Dn.,
CHRISTIANI FINDEKELLERI Electoral. Saxon. Canoniar.
Reditib.

(†) dixit enim ann. *cic. cic. lx. 13. Febr.* de *Temperantiâ* anno seq. *14.*
Januar. de *Euro & Zepbyro*, sermone Latino soluto: & prateritâ fe-
riâ *III. tiâ Paschali* *totam apparitionis resuscitati Christi historiam* car-
mine Germanico Alexandrino recitavit.